

orientem spectat. Ceterum cepisse iam rumoribus per Italiā ubiq; spar-
gi: gallicos principes id egerime ferre. Non tam q; ex ea re magna sperent
emolumenta q; aspirent ad superi maris imperium: siquidem adiunctis qd
maxime cupiūt dalmatiq; urbibus: quis reliquam eius maris oram ab eorū
classibus defendat? Quantum autem momenti ad italiq; imperium adriati-
cum mare semper attulerit: neminem nescire. Iustiniani quidem tēporibus
quum Totila gotthorum rex terra mariq; potēs: totam fere italiā Roma-
nis exercitibus: aut classibus exclusisset: Dalmatiæ uenetorumq; classes pri-
mum Narseti italiæ ingressum aperuere. Nam & ab iis gotthorum classis
est profligata. Et Anchona urbs recepta. Et Narseti copiæ opa nauium ue-
netarum superatis paucis diebus septem p̄ealtis fluminibus Rauennā tra-
iecte sunt. Qui si īfero qd obtinet superum quoq; iungatur mare: Cedat
Maiestas tua uniuerso mari necessē est. Non sunt autem hę uenetis uires:
ut hinc a Rauennatisbus: inde a dalmatis tutari se ualeant. Itaq; uel inuitos
ad eandem ad quain ceteri fortunam inclinaturos. Qd si acciderit ignosce
imperator: speras ne te retenturum ullam in italia urbem portum ue? Op-
pugnatī terra: mariq;: deficient omnes. Atq; ea Italiæ ora quæ semper impe-
rium fecuta est: & magna quondam grēcia appellata Gallico seruiet impe-
ratori. Siciliæ deinde īminebit: & corcyra & in pelopōnesum omnemq; grē-
ciam ducet: cum uolet. Hęc cum magna sunt: tum uero illa maiora: qd cū
maximam Europę partem franeus obtineat: etiam atq; etiam consideradū
erit: quali in periculo futura sit ipsa constantinopolis. Nedum Epirus. Mis-
sia: Macedoniaq; ī discriumen non ueniant: Finem nullum habet regni cupi-
ditas. Qui per mulieris fraudem dimidium pene imperii subtraxit: nisi to-
tam italiā Romamq; subditionem miserit: non quiescet. Qd ad uenetos
attinet parati sunt ad ultimum excidium perferendum: dum tu gloriam im-
periumq; tuum: & dalmatiā quę nobis īminet: haud neglexeris. Per idem
quoq; tempus legati a dalmatis eadem hec ad Nicephorum querentes uene-
re. Quibus cōmotus rebus Nicephorus bonoq; ut animo essent iussis clas-
sem in Adriaticum se se primo quoq; tempore missurum respondit: Illisq;
rebus diligenter prouisurum. Quoniam autem bellum hoc proculdubio
propter dalmatas uenetorum accolas conflatum est. Haud erit ab re: pau-
ca quedam breuiter de ea prouincia scribere: scitu non indigna. Eius fines
uti ceterarum quoq; prouinciarum pro temporum uarietate īmutatos ui-
demus. Nunc siquidem eam appellamus dalmatiā quę a Pola histriq; ci-
uitate: Usq; ad Catarum urbem albanis cōfinem pertingit. Antiquioribus
autem temporibus liburni qui nunc pro dalmatis habentur: accolæ histri
fuere. Primamq; post histros eius oræ partem tenuere: corum metropolis
fuit Iadera urbs: Ut non satis mirer Blondum forliuiensem: scriptum
reliquisse eosdē esse & liburnos & foroiulianos: cū p̄t̄ ceteros auctores

Dalmatia